

Rhamnusius, Senatus scriba, missus, ad amicum Ducem datis literis, quibus, ut eo in negotio Reipublicæ faveret, petebatur. Marcus quoque Octobonus, a Senatus secretis, Gedanum proficisci iussus, ut ex ea regione frumenti ac siliqnis feracissima, quantam maxime posset copiam importari navibus Venetias curaret, a Daniæ Rege per suos fines transitu petito. Sarmatiæ insuper Regi scriptum, ut e suis ditionibus frumentarium annonam coemendi Venetis negotiatoribus copiam faceret. Nihil denique prætermissum est, quo instanti non modo necessitatibus subveniretur, sed in sequentem quoque annum prospiceretur. Navigia complura ex orientis occidentisque regionibus ingenti publico impendio Venetias delata, molestia ac periculo civitatem levavere.

Famis incommmodo afflita Italia, extorum gravissima dama accessere, qui facinorosos homines duces nacti, in Neapolitano regno, atque in pontificiis ditionibus, in agro præsertim Romano, atrocissima scelera ac facinora perpetravere, omnisque avaritiæ & crudelitatis genere in habentes iter sæviere. Nam licet Xystus pessimum genus hominum perosus ab ecclesiastico imperio exterminasset, ex Neapolitano regno penitus evelli non potuerat. Inde Marcus Sciarra, ejus colluvionis dux, una cum Baptistella ab Aratro, modo in Neapolitano regno efferatam rabiem effundebant, modo in Romanum agrum irrumpentes, ingentibus ærumnis mortales afficiebant. Ab Alphonso Piccolomineo, Montis Martiani Comite, eorum audacia mirum in modum aucta, qui Gregorii XIII. pontificatu multis molestiis damnisque Ecclesiæ subiectos attriverat: cuius, uti maxime optabat, cum insolentiam frangere Gregorius, & coercere nequivisset, in Francisci Medicei, Hetruriæ Ducis, gratiam præterita ei delicta condonaverat. Is tunc assuetum vivendi genus repetens, ingenti terrore ecclesiasticos fines repleverat; cumque anno superiore in ditiones Venetas se contulisset, ita in urbe atque extra se gesserat, ut Decemvirum decreto Reipublicæ finibus statim exire, neque absque eorum permisso regredi, gravissimis propositis poenis, juberetur. Attamen, magistratus imperio neglecto, denuo cum armatis facinorosisque hominibus in ditiones Venetas illatus, vi, rapinis agere cœpit, homicidia

Marcus
Sciarra &
Baptistella
extorum
duces.

Alphonse
Piccolomi-
nei audan-
cia.

per-